



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**

**Lvgdvni, M.DC.LI.**

IV. De suppositione terminorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



## PUNCTVM IV

## De suppositione terminorum.

1 Inter omnes terminorum proprietates præcipua est Suppositio, quam definiuit Toletus lib. 2. capit. 1. *vsus terminij pro se, vel pro suo significato*, & Fonseca lib. 8. Instit. Dialect. cap. 20. *acceptio nominis pro re, quam significat*. Vtramque definitionem intendit reicere Arriaga ex eo quod voces non supponantur pro rebus (id est, non ponantur loco rerum, supponi enim est poni loco alijs) sed loco conceptuum, eo enim quod non videamus aliorum conceptus, loco illorum voces substituimus. Existimat ergo suppositionem esse definiendam, *Positionem vocis loco conceptus ad ipsum conceptum manifestandū*. Voces subrogari loco conceptuum non inficior, vtitur enim vocibus vt id præstent, quod conceptus interni præstarent, si in se ipsis agnoscerentur; verumtamen falsū ait Arriaga voces poni loco conceptuum ad ipsos conceptus manifestandos, vocibus enim non ego intendo manifestare conceptus, loco quorum illas appono, sed obiecta ipsa per conceptus representata, cum enim ego profero has voces *Petrus est albus*, non intendo audientes certiores facere me habere quendam conceptum representantem Petrum esse album, si enim id intenderem, dicerem: ego scio Petrum esse album, sed intendo illis notum facere in re Petrum habere albedinem. Confirmatur: Voces, vt fatetur Arriaga ponuntur loco conceptuum, & sunt quædam illorum substituta: ergo id ego intendo vocibus præstare, quod præstent conceptus. Sed conceptus non representant se ipsos, sed obiecta, seu res ad quas terminantur: ergo res ipsas, & non conceptus intendo vocibus representari. Ob hanc rationem dicam controu. 8. Logica Punct. 3. voces non significare conceptus, loco quorum substituuntur, sed immediatè res ipsas. Reicienda ergo est in primis definitio Arriagæ, in qua falsū dicitur voces poni ad ipsos conceptus manifestandos. Aduertas me non negare has voces conceptus, cognitio, discursus ponit ad conceptus manifestandos, quia propriè illos significant, quod non præstent, quia loco illorum substituuntur, sed quia ad illos significandos sunt impositæ. Imò cum ego profero hanc vocem *cognitio* vox substituitur loco conceptus reflexi terminati ad alium conceptum, seu ad cognitionem, quem conceptum reflexum non representat hæc vox *cognitio*, sed alium directum ad quem significandum est imposita, & quem respicit tanquam obiectum conceptus reflexus loco cuius substituitur.

2 Duplicet etiam quod docet Arriaga voces non poni loco rerum, quia cum voces sint rerum representationes, & imagines, optimè loco rerum poni dicuntur, sicuti ponitur statua, seu imago vt cultum illi deferamus imagini quem intendimus deferre prototypo, & in ipsa imagine prototypum veneremur. Itaque voces ponuntur loco conceptuum, & loco rerum, & vtrorumque dicuntur substituta, diuerso tamen modo; ponuntur enim loco conceptuum, vt id præstent, quod ipsi conceptus præstarent, si non fierent, videlicet vt representent eadem obiecta eà ratione, quā illa conceptus representant. Ponuntur etiam loco rerum, non vt præstent id, quod res ipsæ præstent, aut debent præstare, sed vt ego me geram eodem modo vocibus in oratione positīs, ac me gererem ipsis rebus, sicut enim demonstrato homine rectè dicerem hoc est animal rationale; sic hac voce *homo* in oratione positā, dico, *homo est animal rationale*: & sicuti interroganti, quodnam sit subiectum, quod dicitur potens ridere rectè responderem, si hominem re ipsa existentem demonstrarem, & dicerem, *hoc est*, sic rectè respondeo vtens voce locorei cum dico, *homo est subiectum quod dicitur risibile*.

3 Tenenda ergo est definitio, quam, ex Aristotele in initio Elenchorum tradit Fonseca supra, & cum illo quā plures alij, videlicet suppositio est *acceptio nominis pro re quam significat*. Neque addendum est cum Toletus *pro se, vel pro suo significato*, quia quando nomen pro se supponit, sicuti contingit in hac propositione, *homo est rex*, se ipsum significat, quia substituitur loco conceptus representantis ipsum nomen, & vt dicebam Punct. 1. illud significat vox, quod representat con-

ceptus, loco cuius substituitur, quā ratione asserui voces expertes significationis in propositione positas, eadem proprietate se ipsas significare, quā hæc vox *homo* significat animal rationale. Comprehendit ergo definitio tradita à Fonseca paucioribus verbis id, quod pluribus traditur Toleti definitione, in qua superflue verba illa *pro se*, quæ continentur in illis *pro suo significato*.

Hac positā definitione explicandum est quomodo differant *significare*, & *supponere*. In primis suppositionem distinguī à significatione naturali; quam habet ipsa vox certum est apud omnes, vox enim *homo* naturaliter significat suum prolatorem, & pro illo non supponit: de significatione, quam vox habet ex libera hominum institutione maior est difficultas. Affirmant nonnulli, significationem ex instituto; & suppositionem non distinguī; immeritò tamen, quia me duci in cognitionem rei significatæ non est me vti nomine pro re significata, cum enim quis tubæ sono ducitur in cognitionem prælij iam imminenti, non vtitur tubæ loco prælij; neque cymbali sono, quo diuina officia celebranda significantur, vtimur loco officiorum. Dicendum est suppositionem differre à significatione tanquam vsum à re, quā vtimur, quod explicat ipsa suppositionis definitio: *vsus nominis significantis rem, pro re quam significat*, vtimur ergo in ipsa suppositione nomine significante, & ipsa significatione nominis, qui vsus consistit in acceptione ipsius nominis significantis pro re significata. Rem declarat exemplum: hæc vox *Petrus* significat veram, & realem entitatem Petri in re existentem, cui Petro & non voci conuenit esse animal rationale, virtute cuius significationis vt ego tribuam vere Petro existentem hoc quod est esse animal rationale, assumo talem vocem, & dico *Petrus est animal rationale*, quod est vti voce *Petrus* loco ipsius veri Petri, cui intendo tale prædicatum tribuere. Eadem ratione intendo ego de Petro dicere esse rationale, seu principium ratiocinandi, & vt id præstem assumo vocem hanc *rationale*, quam scio significare principium ratiocinandi, & dico, *Petrus est rationalis*, positā vocem *rationalis* loco rei, quā significat, videlicet principij ratiocinandi. Hic ergo vsus, seu hæc acceptio est positio vocis significantis loco rei significatæ, & est positio vnius rei loco alterius, & suppositio dicitur, & reperitur tam ex parte subiecti, quā ex parte prædicati.

Hæc acceptio vocis loco rei significatæ aliquando est loco rei abstractæ ab existentia, aliquando est loco rei vt existentis. Loco rei abstractæ ab existentia est, quando prædicatum non supponit existentiam, sicuti in hac propositione *homo est animal*, quæ homine non existente vera est, & ita prædicatum neque illius connexio cum subiecto supponunt existentiam subiecti. Tunc autem vtimur voce loco rei existentis, quando prædicatum nequit verificari de subiecto, nisi antecederet ad illud subiectum supponatur existens, sicuti in hac propositione *homo est albus*, *Petrus currit*, in quibus prædicatum non potest conuenire subiecto, nisi hoc supponatur existens, & ideo cum has propositiones proferimus, quasi virtualiter affirmamus existere subiectum, de quo intendimus verificare prædicatum. Ex hoc fit in his propositionibus *Petrus currit*, *Ioannes legit*, debere negari suppositum subiecto non existente in rerum natura, quia tunc vtimur voce exprimente subiectum loco ipsius subiecti realiter existentis; quod si non existat, erit vsus vocis pro re, quæ non substituit sub illa ratione, sub qua loco illius vox substituetur, & ita malè vox substituetur loco rei, quæ non est. Huiusmodi acceptio, & suppositio contingit in omnibus prædicationibus, quorum prædicatum est accidens physicum respectu subiecti illi realiter contingens, quod necessariò subiecti existentiam supponit. Contingit similiter in orationibus perfectis, quæ propositiones non sunt in quibus reperitur virtualis affirmatio alicuius termini vt existentis, vt contingit in hac interrogatione: *Dum eras in foro, vidisti Petrum ibi existentem*? In qua oratione virtualiter affirmatur te fuisse in foro, & Petrum ibidem fuisse, quod si ita non fuisset, non tantum poteras respondere negando Petrum in foro à te esse visum, sed negando suppositum harum vocum *dum eras in foro*, quia in foro non fuisti; vel suppositum aliarum *Petrus in foro existentem*, quia Petrus non fuit in foro: qui respondendi



respondendi modus aptior esset, quia illo non tantum negabas, quod alter interrogabat, sed quod virtualiter affirmabas. Idem contingit quando significo me alicui subiecto optare aliquid contingere, quod illius existentiam supponit, ut cum dico: *utinam Petrus esset scholasticus diligens*, quia oratione suppono Petrum existere, vanè enim Petro non existentem diligentiam in studio optarem, & ita usus huius vocis *Petrus* in hac oratione est loco ipsius ut existentis. In propositionibus negatiuis sicuti *Petrus non currit*, *Chimera non legit*, vox se tenens ex parte subiecti non sumitur pro subiecto formaliter ut existente, quia Petro existente, & non existente potest verificari Petrum non currere, & modò Chimera non existente verum est dicere *Chimera non legit*, quia quod non est, non est legens.

6 Ex hoc inferes nullam propositionem affirmatiuam veram esse subiecto non supponente, quia eo ipso quod sit vera, in subiecto non desideratur existentia requisita ab hoc ut illi possit contingere predicatum. Inferes similiter propositiones falsas, quasdam esse de subiecto non supponente, sicuti *hæc Chimera est alba*, quia deficit in subiecto existentia, quam debebat habere ut illi posset subiectum conuenire: alias verò esse de subiecto supponente, sicuti hac propositio *Petrus deambulabat*, prolata dum Petrus sedet, cum existentia sufficiente ad deambulandum. Neque ex eo præcisè quod subiectum non existat tempore importat per copulam, propositio dicitur de subiecto non supponente, quando predicatum non supponit subiectum ut existens, sicuti contingit in hac propositione *Antichristus fuit existens*, cuius copula importat tempus præteritum in quo non exiit Antichristus, nihilominus propositio falsa tantum est dicenda, & non de subiecto non supponente, quia predicatum ex se non debet supponere subiectum existens, ut illi conueniat, sed illud formaliter existens constituit, & quia virtualiter non affirmatur subiectum existere, sed tantum formaliter per copulam, quod reddit propositionem falsam, & non de subiecto non supponente, tunc enim tantum dicitur propositio de subiecto non supponente, quando virtualiter affirmatur illius existentia (idem dico de præteritione seu quocumque alio statu possibilitatis, aut futuritionis) ut formaliter aliquid de illo prædicetur. Inferes similiter non solum intra propositionem, ut contra nonnullos docuit Fonseca supra, reperiri suppositionem termini, sed ubicumque nomen pro re quam significat accipitur, quod contingit in quacumque oratione in qua sententiam aliquam declaramus; apta exempla in his orationibus adducit Fonseca: *utinam Plato Socratis auditor* & *utinam Socrates doctrinam fidei, quam præclare suis discipulis traderet, didicisset*. In quibus utrimus nominibus *Plato* & *Socrates* pro rebus significatis.

7 Aduertit insuper Fonseca dicendum non esse *hoc nomen supponit pro hac re, illud pro illa*, sed *hoc nomen supponit seu substituitur pro hac & illa re*, quia cum nos nominibus utimur pro rebus, nomina à nobis supponuntur, & non ipsa actiue aliud supponunt. Rem ita se habere certum existimo, verumtamen difficile poterimus communem omnium loquendi modum coercere, iuxta quem nomina pro rebus supponere, actiue significatur, & propositionem de subiecto non supponente esse dicimus, neque ego audeam inter respondendum alicui argumento in scholis dicere, *hæc propositio est de subiecto non supposito*, dum enim omnes loquutionis proprietatem percallebant, me discedentem à communi loquendi modo, & in re parui momenti singularitatem affectantem irriterent.

PUNCTUM V.

*Varia divisiones suppositionum.*

Primò diuiditur suppositio in *formalem*, & *materialem*. Suppositio formalis est, quā nomen accipitur pro re significata per nomen, ut cum dicimus *homo est animal* *bratio- nalis*. Suppositio materialis est, quando nomen accipitur nō pro re ad quam significandam sit impositum, sed pro se ipso, ut cum dicimus *homo est vox*. Rursus suppositio ma-

terialis quædam est *intrinseca*, alia *extrinseca*. Intrinseca est acceptio nominis pro se ipso secundum id, quod intrinsecè habet, veluti cum dicimus *homo est*. Extrinseca appellatur acceptio nominis pro se ipso secundum id, quod habet ex libera hominum impositione, quod illi potuit non inesse, veluti cum dicimus *homo est nomen*, *homo est vox significatiua*.

Suppositio formalis quædam est *propria*, alia *impropria*. Suppositio propria est acceptio nominis pro re, quam propriè significat, & ad quam primò significandam fuit impositum, veluti cum dicimus *leo est animal rugibile*: in qua propositione terminus *leo* propriè supponit. Suppositio impropria est acceptio vocis pro re quam impropriè significat, & ad quam significandam non fuit imposita, ut cum dicitur *vicit leo de tribu Iuda*, ubi nomen *leo* sumitur pro Christo, qui non propriè, sed per metaphoram hac voce *leo* significatur. Suppositio propria alia *communis*, alia *singularis*, quæ *discreta* dici solet. Suppositio communis est usus nominis communis non affecti signo demonstratiuo pro suo significato, aut significatis. Nomen commune dicitur illud, cuius significatum non prohibet à multis participari. Suppositio singularis est acceptio nominis significantis vnā tantum rem indiuiduam, aut nominis communis affecti signo demonstratiuo, ut cum dicimus *Petrus currit*, *hic homo currit*.

Suppositio communis quædam est *completa*, cuius terminus sumi potest pro omnibus suis inferioribus, quod sumi dicitur pro singulis generum, sicuti in hac propositione vniuersali, *Omne animal est sensitiuum*, ex qua licet inferre: ergo homo est sensitiuus; & rursus: ergo Petrus est sensitiuus, & Ioannes est sensitiuus, & sic in aliis speciebus, & indiuiduis sub illa contentis. Alia est suppositio *incompleta*, in qua terminus non sumitur pro omnibus suis inferioribus, seu pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, sicuti in hac propositione *omne animal fuit in arca Noë*, quæ reddit hunc sensum, ex omni genere animalium, aliquod animal fuit in arca Noë, & ita licet inferre ex illa: ergo aliquis homo fuit in arca Noë, & aliquis equus fuit in arca Noë, & sic in aliis speciebus: non tamen licet inferre: ergo hoc indiuiduum animal, videlicet Petrus fuit in arca Noë.

Difficilior explicatu est suppositionis diuisio in *simplicem*, & *personalem*. Suppositionem simplicem sic definiunt Cardinalis Toletus lib. 2. c. 1. *usus termini pro suo tantum materiali significato*, & P. Fonseca: *acceptio præcisæ nominis communis pro suo immediato significato*, quæ definitiones tantum differunt in eo quod Fonseca videatur requirere ad suppositionem simplicem nomen commune, quod Toletus non exposcit. Exemplum adducitur huius suppositionis in his propositionibus *homo est species*, *animal est genus*, cuius subiecta tantum possunt sumi pro immediatis significatis, videlicet pro ratione communi animalis, & ratione communi hominis, quibus prædicata conueniunt, & non pro significatis mediatis, videlicet pro inferioribus contentis sub ratione communi animalis, & sub ratione communi hominis, licet enim dicamus *animal est genus*, non licet dicere, *homo est genus*, & etiam si dicamus *homo est species*, dici nequit, *Petrus est species*. Definitiones has impugnatur Hurtadus ex eo, quod nomē *Petrus* in hac propositione *Petrus currit* supponit personaliter, prædicatum enim secundum suam personam illi conuenit, & in hac propositione *Petrus est indiuiduum subieciibile*, supponit simpliciter, quia prædicatum non conuenit illi secundum suam personam; & tamen in vtraque propositione utimur hoc nomine *Petrus* pro eodem immediato significato: ergo suppositio personalis, & simplex non constituitur per hoc quod est sumi nomen tantum pro immediato significato, vel pro mediato. Vidit hoc argumentum Arriaga, asseruitque posse facile Toletum & Fonseca negare antecedens, asserereque nomen *Petrus* non posse nisi personaliter accipi, & ita supponere, etiam in hac propositione *Petrus est indiuiduum subieciibile*. Id videtur subodoratum fuisse Fonseca, cum suppositionem simplicem per nomen commune definiuit, & ab illa singularia nomina relegauit. Verumtamen Cardinalis Toletus nullo modo potest hac uti solutione, quia expressè affirmat in hac propositione *Petrus est indiuiduum*.